


1687 *10. in Velfe*

ASTRONOMICVM
 Diagramma Quadrationis. Simoni à Quercu, inuentori huius
 Diuini artificij consecratum.



*Ex Nicol. Cusanj
 in huius inuentore
 a Regio Montano
 & Joh. Butroni*

II. Elementi seu propositionis Declaratio.

Dico in adiuncto Diagrammate, Rectam lineam AC, Circulo ACBH ab altero Diametri AB termino A in scriptam, per q₃ peripheriam ACB extra vsq₃ in tangentem BO è reliquo Diametri AB termino B versus idem latus atq₃ perpendiculariter vsq₃ in punctum D continuatam, vel ei ex structurâ æquale segmentum BD, quadrantis seu quartæ parti peripheriæ circuli: ideoq₃ & per Geodesian circuli, vel Rectangulum oblongum ABDE, vel eadem per 43. primi Euclidis æquale quadratum BGLF, ipsi circulo proposito ACBH: æuari.

III. Eiusdem Elementi Demonstratio.

Demonstrandum nobis esto, quadrantem peripheriæ circuli Rectâ in scriptâ AC vel ei æquali abscisso segmento BD, neq₃ esse maiorem neq₃ minorem: quo facto, necessario ei erit æqualis. Id quod liquido ac euidentissimè apparet è sequentibus tum principijs tum Demonstratis Elementis.

Principia Communia. 8.

1. Omne totum æquatur omnibus suis partibus simul sumptis. Ergo omne totum est maius suâ parte: & contrâ, omnis pars est minor suo toto.
2. Vt totum ad aliud totum, ita homologa pars vel homologæ partes istius totius, ad homologam partem vel homologas partes huius totius: & contrâ. (Vulgò: vt totum ad totum, sic pars ad partem.)
3. Quod vno maiore maius est, id etiam vno minore maius est: & contrâ,